

suas ad Sardonam insulam, quæ Liburniæ adjacet, admovit. Arbam insulæ oppidum aliquandiu oppugnatum ad deditio[n]em compulit. Deditio ea conditione facta est, ut traditis omnibus Veneti nominis cum Lodovico Contareno urbis Prætore & iis qui ab initio belli oppidum Venetis tradidere, reliqua civibus inoffensa manerent. Fuerant Arbenses ad eam diem Veneti imperii studiosissimi, ac saepius eo bello oppugnatione tentati, omnia extrema pati maluere, quam a Veneto imperio alienari. Chinatius, qui ultimum bellum Ligusticum diligentissime omnium, quos vidimus, scripsit, auctor est, diu nullum panis usum inter Arbenses fuisse, ac lege cautum, ne quis panem nominaret: carnes & lacticinia victum præbuisse. Tum vero atrocissimis oppugnationibus fracti, non quam ipsi fatiguri erant, sed quæ impetrari ab hoste potuit, deditio[n]em fecere. Potiti oppido Genuenses, tribus triremibus ad præsidium relictis, classem inde continuo abduxere.

Hæc mari gerebantur: quum Taurisum Patavinus armis graviter urgere cœperat, duobus pontibus fluvio impositis, uno ad locum, cui Casali est nomen, altero propinquiore urbi loco, ubi Carrarius hostis tumultuorio opere novam turrim exaserat. Habuit ille ab initio in animo, infessis aquis, quibus commeatus ex urbe quotidie Taurisini subvehebantur, Venetum militem cum oppidanis fame domare. Erant Patavina castra circa turrim, unde assidue excursiones ad portas usque fiebant. Vexabantur ad hæc qui in urbe erant, tormentis bellicis, quorum assidui casus omnia infesta civibus reddebat. In hoc statu res Veneta ad Taurisum erat. Pisanus interim, ad Jaderam classe admota, cœperat portum oppugnare: quum per exploratores est cognitum duodecim Ligusticas triremes nuper inde profectas in Appuliam frumentatum ivisse. Ea re audita, quanquam febre pene assidua gravaretur, in quam circa nonas Augusti inciderat, ne tamen in tanta occasione cessasse videretur, pergit Victor ex Jadera ad hostem ire: quem in Peligna ora adeptum, teñebrae quæ se sub primum certamen intenderant, e con-

1380  
Ligur Ar-  
benses ad  
deditio[n]em  
compellit.